



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam
interpretis donatus

Iter ad coelum in quatuor partitum Semitas seu partes, & Fasciculum
Myrrhæ

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

De quindecim prærogativis sacrosancti sacrificii Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49363)

CONSIDERATIO V.

Considerabis, Missam die sequenti celebrandam fore ultimam totius vitæ tuæ, ista que celebrata subitò tibi ex hac vita migrandum esse. Quare instantibus precibus sollicitabis sanctissimam Virginè, vt impetret tibi gratiam, qua dignè feruenterque ad eandem te præpares ac disponas. Et, vt paucis plura complectar, & concludam, veluti etiam bene aduertit Carthusianus: *Tota conuersatio Sacerdotis & continua debet esse in præparatione, & gratiarum actione*; voluendo semper adiuuatum vnum ex his vocabulis, *Celebraſti*, vel *Celebrabis*, eandem ponderando & penetrando significata.

Carthus. de
Sacram.
Altar. a. 9.

PRÆROGATIVÆ SACRO-
SANCTI SACRIFICII
MISSÆ.

PRÆROGATIVA I.

Christus Instigator.

Institutum fuit immediatè à Christo D. N. in vltima Cœna proferente verba illa consecrationis efficacia & plena mysteriis: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis &c.* Et hæc fuit prima Missa, quæ celebrata fuit in Ecclesia Dei, cui S. Petrus adiunxit Orationè Domini. Deinde ab alijs Pontificibus, veluti à Gelasio, Celestino, Gregorio aucta fuit Missa eo modo, quo iam celebratur. Considera finem, quem habuit Christus in hac institutione, & fuit iste, vt cum suis viueret, moreretur semper pro nobis, quod, cum in effectum modo cruento deducere non posset, executus est modo in cruento & Sacramentali tum etiam vt nos daret pretiosis thesauris meritorum Passionis suæ. Gratiarum referat tanto tamque eximio benefactori, tantumque Amorem viuò semper & efficaci affectu imitari procura.

1. Cor. 11.
Dur. lib. 4.
c. 1.

PRÆROGATIVA II.

Idem est cum Sacrificio Cœnæ.

Sacrificium Missæ non discrepat nec differt à Sacrificio Cœnæ. Etenim conueniunt in principali Offertorio sequi

te qui est Christus; in re oblata, quæ est Corpus Christi: & in modo offerendi, qui est incruentus. Differunt solummodo in nonnullis accidentalibus circumstantiis. Christus namque in Cœna solus sacrificauit: in altari simul sacrificat cum Sacerdote, tanquam cum ministro suo. Christus in Cœna consecrauit in memoriam Passionis futuræ: in altari consecrat in memoriam Passionis præteritæ. Christus in cœna fecit actum non impetratorium duntaxat; verum etiam satisfactorium & meritorium; in altari solum impetratorium. Considera Sanctorum Apostolorum affectum in participatione Sacrificii Cœnæ, eundem affectum imitare in participando, spirituali & sacramentali modo, Sacrificio Missæ;

PRÆROGATIVA III.

Idem est cum Sacrificio Crucis.

Sacrificium Missæ & Crucis vnum & idem Sacrificium est: enim uero conueniunt in principali Offerente, & in re oblata. Differunt in modo offerendi: quia Sacrificium Crucis fuit cruentum, Altaris est incruentum: Quapropter Sacrificium Missæ plus differt à Sacrificio Crucis, quàm à Sacrificio Cœnæ. Vnde affirmari potest, Sacrificium Crucis inter & Altaris non solum intercedere differentiam accidentalem, neq; essentialem, sed substantialem, iuxta diuersum modum offerendi, uti dictura est.

PRÆROGATIVA IV.

Dat efficaciam Passioni Christi.

Sacrificium Missæ est applicatiuum virtutis Sanguinis & Passionis Christi: vnde concurrit ad omnes effectus Gratiæ; at modis diuersis. Est satisfactiuum *immediatè*, per modum *immediatæ solutionis*, applicando satisfactionem Christi, veluti contingit in Missa pro Defunctis, verum ad alios effectus meriti, contritionis & huiusmodi concurrit *mediatè*: enim uero infallibiliter impetrat auxilia supernaturalia, aut sufficientia, aut efficaciam ad for-

ad formandos actus contritionis, ad opera meritoria & satisfactoria. Ratio est, quia Sacrificium Missæ offertur in persona & nomine Christi, qui pro statuto præse- nec promereri, neque de nouo satisfacere; sed solum orare & impetrare potest hoc; quod promeruit, & pro quo satisfecit in Cruce. Igitur virtus Sacrificii Missæ solum impetratoria est, sed gratiarum omnium, & pro omnibus necessitatibus tam spiritualibus; quam temporalibus; est satisfactoria, non de nouo, sed soluendo & applicando satisfactionem Christi. Considera igitur, quâ ratione in hoc Missæ Sacrificio consistat tota virtus & efficacia, vti & fructus Sacrificii Crucis. *Per hanc in-*

Trid. sess. 22 *cruentam oblationem uberrimè merentis oblationis fru-*
6.2. *ctus percipiuntur.* Jam verò, si tempore crucifixionis Christi præsens simul fuisses in monte Caluarie; quanto cum desiderio, quantâ etiam reuerentiâ vultus saltem stillæ pretiosi illius Sanguinis participes fieri studuisses. Eodem affectu nunc assistere deberes Sacrificio Missæ, vbi non vnica duntaxat guttula, sed totus Christi Sanguis cum Corpore; cum Anima; cum Diuinitate Christi participatur.

PRÆROGATIVA V.

Operatur infallibiliter.

Modus concurrendi Sacrificii Missæ est ex opere operato. Duobus siquidem modis Sacerdos concurrens potest. Primò, ratione personæ, & si est in statu Gratiæ, in actu sacrificandi meretur, satisfacit, & impetrat opere operantis: quod si non est in statu Gratiæ, nullum horum effectuum assequitur. Secundò, ratione officii, in quantum sacrificat in persona & nomine Christi, & tanquam eius Legatus: & veralis, independenter propria sanctitate, infallibiliter confert remissionem poenæ non ponenti obicem. Ratio est, quia offert in persona Christi, principalis Offerentis, cui nullam rem poterit æternus denegare potest: quemadmodum, si quidam inimicus & hostis Principis rogaret nomine alicuius per-

ius personæ, cui Princeps haud posset deesse, aut quidquam denegare; infallibiliter impetraret etiam ut inimicus. Præterea fundatur hic modus operandi *ex opere operato*, in promissione Christi, quæ habetur per traditionem Ecclesiæ, in quantum admittit opus operatum in Sacrificio Missæ, sicuti etiam in Sacramentis: secus Sacrificium Ecclesiæ non esset ita perfectum veluti Sacramenta: Probatur quoque ex Tridentino: *In Trid. Sess. 22. Constituit Christus hoc Sacrificium, ut per illud applicetur nobis virtus suæ Passionis, ergo ex opere operato.* Quam ob causam semper in Missa exorabis Patrem æternum, *ut respiciat in faciem Christi sui*, qui est principalis Offerens, & non respiciat peccata offerentium minus Principalium, Sacerdotis, videlicet, & populi.

PRÆROGATIVA VI.

Est tessera, seu symbolum Fidei.

Sacrificium Missæ tessera est, & signum Religionis Christianæ. Quemadmodum Christi Ecclesia vnica est, ita vnum est Sacrificium, per quod cognoscitur Deus, eique debitus exhibetur cultus Latriæ. Etenim non solum diligendus est, ut supremus Princeps; verum etiam tanquam primum principium, & finis vltimus à quo omnia dependent, adorandus est. Hic cultus fundatus est in tribus actibus: primus est actus intellectus, quo cognoscimus Diuinam Excellentiam in ratione primi principii & vltimi finis, à quo cuncta dependent, & propriam vtilitatem, propriamque subiectionem & seruitutem. Secundus est actus voluntatis quæ vult, & acceptat talem seruitutem & submissionem. Tertius est actio externa sacrificandi ad indicandam Diuinam Maiestatem, humanamque subiectionem ordinata.

PRÆ-

PRÆROGATIVA VII.

Est Signum mysticum Passionis Christi.

Quia Sacrificium Missæ non moralem duntaxat habet significationem, in quantum internum animæ actum Divinæ excellentiæ humanæque subiectionis protestantium significat; sed etiam mystica occulti cuiusdam mysterii supernaturalis gaudet significatione: quia per institutionem Christi ordinatum fuit ad significandam ac representandam sanctissimam Passionem suam. Propterea de essentia Sacrificii est consecratio sub utraque specie, cum non habeatur expressa Passionis Christi representatio, nisi per utramque consecrationem & panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem. Quamobrem considera, cum quantâ reuerentiâ & deuotione assistendum sit venerando Missæ Sacrificio: profundè excitando memoriam Passionis & Mortis Saluatoris: desiderando fieri participes meritorum fructus que preciosissimi sui Sanguinis.

PRÆROGATIVA VIII.

Est Sacrificium Sacrificiorum.

Est de causa tali illud compello nomine, quia cuncta primitiua Ecclesiæ Sacrificia eminenter continent quantum est Honorarium, continet Holocaustum quantum Eucharisticum, continet Hostiam pacificam quæ erat pro beneficiis datis, vel dandis: in quantum est Propitiatorium pro peccatis, quia remittit culpam & pœnam (sed culpam mediâ, impetrando quandam contritionis actum, & pœnam immediatè per modum satisfactionis applicando satisfactionem Christi) continet Hostiam pro peccatis. Quod si igitur Patres antiquæ legis summa deuotione & reuerentiâ sua operati fuere Sacrificia, quæ in maiori veneratione ac deuotione hoc, quod illa continet, infiniteque superat, peragere debemus?

CON.

PRÆROGATIVA IX.

Christus Sacerdos per seipsum.

Christus non tantum ad Sacrificium Missæ concurrat per Sacerdotem, tanquam per Legatum suum, verum etiam per seipsum: totum namque illud agit, quod à vero quodam Sacerdote requiritur. Primò, intellectu recognoscit Excellentiam Naturæ Divinæ, & subiectionem suæ Naturæ Humanæ. Secundò, voluntate vult & acceptat huiusmodi subiectionem. Tertio Humanitate suâ, veluti suo Instrumento actualiter concurrat ad consecrationem, ordinando actionem illam & Corpus suum sanctissimum ad gloriam Dei; repræsentando ad eundem finem Passionem suam. Et hoc modo melius saluatur, quomodo nunc etiam Christus sit verus Sacerdos: ut enim mediante Legato suo sacrificaret, satis esset, quod in cœna ipse egisset Sacerdotem, & modo Sacerdos consecraret in persona eius. Secundò, sacrificium Missæ redditur magis honorarium Patris; quemadmodum longè maior accresceret honor Pontifici, si non solum ab illo Legato, sed etiam immediate ab ipsa Regis persona honoraretur. Tertio, Christus proprium efficitur exemplar ab aliis Sacerdotibus imitandum. Rogabis igitur, ut tanquam summus Sacerdos, & Sacerdos in æternum efficaciter tibi applicet sanctissimum Corporis & Sanguinis sui Sacrificium: cum hac namque applicatione omnem obtinebis gratiam & salutem.

PRÆROGATIVA X.

Offeritur ab omnibus.

In cuius rei signum Sacerdos in Canone vititur numero plurali, dicens: *Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus.* Primò, quia omnes fideles faciunt unum corpus. Et quamvis in toto naturali denominatione partis attribuat etiam toto; at non comparti (sic videre attribuitur oculo, & homini; sed non pedi) nihilominus in hoc toto mystico & morali, quia omnes partes sunt supposita eiusdem denominationis capacia, actus offerendi & sacrificandi attribui potest omnibus partibus. Secundo, Pars Quarta. I dō, per

do, per quandam voluntatem, licet non actualem, virtua-
lem tamen & interpretatiuam, fundatam in esse Christia-
no; enim uero omnino censendum est, quemlibet Chri-
stianorum uelle ac optare, ut Sacrificium Missæ offer-
ratur etiam nomine suo. Sed magis proprie & speciali-
ter illi dicuntur offerentes, qui ali quo modo, & quadam
ætina actione Sacerdoti cooperantur: Cum enim hoc
Sacrificium sit in genere signi sensibilis, non sufficit actio
interna; sed insuper requiritur actio externa. In quo
sensu cum Sacerdote offerre dicuntur, dantes stipen-
dium, ministrantes, assistentes, & omnes illi, quotquot
student, & procurant celebrationem Missæ.

PRÆROGATIVA XI.

Offeritur pro omnibus.

Quia est Sacrificium publicum & uniuersale, offer-
turque à Sacerdote, ut est medium inter Deum &
Ecclesiam. Quapropter dicitur in Canone: *Qua tibi
offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica, & omnibus
orthodoxis atq; Catholica & Apostolica Fidei cultoribus.*
Neque Sacerdos aliam intentionem habere potest, quia
in celebratione tenetur obseruare ritum Ecclesiæ. Et hoc
intelligitur de Sacrificio, ut est Propitiatorium, seu Satis-
factorium, & Impetratorium: quia, ut est Honorarium &
Eucharisticum Deo duntaxat offeritur.

PRÆROGATIVA XII.

*Fructus & effectus Sacramenti
Uniuersalis.*

Quoniam ualor Sacrificii Missæ sit infinitus, in in-
finità Personæ Christi dignitate fundatus; fructus
tamen & effectus finitus est: quia finito modo applica-
tur, & promittitur à Christo. Ac propterea, quando ob-
feritur pro multis, diuiditur, & eo minor est in singulis; at,
quando à multis offertur, non diuiditur; sed multipli-
catur, quemadmodum multiplicantur actiones offeren-
tium; alioquin totius participaret de fructu Missæ, qui
aliis sociis præsentibus eam audiret, quàm is, qui solus
eandem aut cultaret.

Perfo-

Personæ, quæ fructus Missæ particeps fieri possunt, sunt in triplici ordine. In primo est Sacerdos. In secundo hi, qui actu aliquo Sacrificio Missæ cooperantur. In tertio cæteri omnes Christiani.

Sacerdos tribus modis participat de fructu Missæ.

Primo, *ratione officii*, & tanquam minister publicus: & hunc fructum, quem vocant specialem, tenetur Sacerdos applicare ei, pro quo celebrat, & à quo recipit stipendium; quia, cum tanquam publicus minister hunc recipiat fructum, debet eum dare communicari: & quia est indifferens, applicare debet eundem vel huic, vel illi in particulari: & deficiente hac applicatione *ex intentione virtuali*, remanet applicatus sibi ipsi, vel thesauro Ecclesiæ. Secundo, *ratione personæ*, & tanquam persona privata: & hunc fructum, quem vocant specialissimum, non tenetur, imò (ut alii volunt) non potest applicare aliis, quia est effectus *ex opere operato* personalis, sicut est satisfactio Indulgentiæ, Absolutionis sacramentalis, & Communionis Eucharistiæ. Tertio, *ratione personæ ex opere operantis*, & hanc satisfactionem applicare potest.

Secundo, fructus ex opere operato sunt quoque particeps, qui aliquo modo cooperantur Missæ: & qui plus cooperatur, plus etiã participat. Sicq; plus lucrator ministrans Sacrificio Missæ, quam qui solum eidem assistit.

Tertio, participant etiam de fructu *ex opere operato* omnes fideles, vivi & defuncti iuxta propriam eorum capacitatem: quis pro omnibus offertur, pro omnibus infallibiliter impetratur, *nisi ponant obicem*. Qui in peccato mortali constitutus est, recipit *ex opere operato* Gratiã sufficientem, aut efficacem, ut eliciat actus contritionis. Qui est in statu Gratiæ, recipit pariter Gratiã actualem, aut sufficientem, aut efficacem ad faciendos actus avertorios, satisfactorios & impetratorios. Satisfactionem duobus recipit modis: & *immediatè per modum solutionis*, ex satisfactionibus Christi in thesauro Ecclesiæ repositis: & *mediatè operando* actus satisfactorios Gratiã quoque, aut sufficientem, aut efficacem recipit ad detestanda peccata venialia. Postremò animæ existentes in Purgatorio recipiunt etiam fructum *ex opere operato* remissionis pœnæ, *per modum solutionis & immediatè*, absque yllò proprio earundem actu. In quo differt

differt defunctus à viuento, quod hic recipiat remissionem poenæ, non solum per modum absolutionis, sed etiam per modum impetrationis, impetrando vires, quibus satisfaciat: quamuis, si impetratio intelligatur in ordine ad satisfactionem Christi; cum illa applicatur, possit quoque effectus esse communis omnibus, & viuentibus, & animabus defunctorum. Et in hoc sensu viuens satisfactionem recipit tribus modis: nempe, *immediate* per satisfactionem Christi: *mediate*, operando actus satisfactorios: & *impetratiuè*, impetrando vires, quibus satisfaciat: defunctus duobus modis: videlicet, per modum absolutionis, & per modum impetrationis, applicando sibi satisfactionem Christi.

Peter aliquis; quis fructus correspondeat Christo tanquam Sacerdoti? Cui respondeo, Christum D.N. duobus modis considerari posse; primò consideratur, tanquam Offerens principalis, & tunc sicut est vna Oblatio Sacerdotis & Christi: ita quoque vnus est fructus, cuius applicationem Christus remisit Sacerdoti intentioni. Secundò potest considerari, veluti Offerens particularis, secundum oblationem personalem per proprium actum internum: & in hoc sensu proprium distinctumque recipit impetrationis fructum: & quando voluntas absoluta est, infallibilitè impetrat, pro quo vult.

Addunt nonnulli (veluti Scotus) quod habeat quoque fructum satisfactionis non quidem de nouo, sed applicando antiquam Crucis satisfactionem, cui vult, & pro quo vult. Cuius ratio esse potest, quia, sicut est proprius Sacerdos, non solum tanquam Offerens Vniuersalis: verum etiam tanquam particularis & personalis: ita quoque proprium habere debet fructum personalem, distinctum à fructu Sacerdotis, & ille est fructus remissionis poenæ, vt eam applicet, cui vult. Neque dicas; applicatio satisfactionis thesauri Ecclesiæ de lege ordinaria non fit, nisi per signa sensibilia Sacrificii, & Sacramentorum: neque, inquam, id dicas: quia ad consecrationem externam sensibilem per species & verba Sacerdotis concurrat etiam Christus cum instrumento Humanitatis suæ: & illud signum sensibile, quod sufficit, vt Christus sit reus Sacerdos, tanquam persona particularis; sufficit quoque, vt recipiat proprium ac distinctum Missæ fructum.

PRÆROGATIVA XIII.

*Est Sacrificium infinitum intensiue,
& extensiue.*

Hoc Sacrificium tale est, vbi proposui: quia, cum offeratur à Christo, tanquam à Causa & Offerente principali, vel à Sacerdote in persona Christi, quod idem est; idè propter infinitam dignitatem personæ offerentis Sacrificium habet infinitam intensiorem in actu primo, & quantum ad valorem: tamen in actu secundo, & in effectu finitum sit, propter finitam Sacerdotis applicationem. Pater æternus respiciendo Sacerdotem, non sinit in illius persona; sed transit ad Personam Christi infinitè dignam. Propter eandem rationem est infinitum *extensiue*, sicut & in actu secundo respectu Offerentium. Undè, si in infinitum hi multiplicarentur; in infinitum etiã cuilibet accresceret fructus finitus *intensiue* Sacrificii. Et ratio est, quia, vt supra insinuavi, quemadmodum multiplicantur offerentes, ita quoque actiones, quæ sunt rationes proximæ applicatiuæ satisfactionum, multiplicantur cæteròquin, qui in comitatu plurium personarum audiret Missam, minorem illius perciperet fructum, contra vsum & sensum Ecclesiæ. Sacerdos deinde, esto realiter non sit Christus, nihilominus est Christus *mysticè & representatiue* quare eundem habet effectum, eademque gaudet dignitate Christi. Undè hæc ei incumbit curâ, vt Christum non representet duntaxat in potestate consecratiuâ; verum etiã in vita & moribus.

PRÆROGATIVA XIV.

Est Sacrificium, & Sacramentum.

Quemadmodum eadem Sacerdotis actio simul est *Sacrificatio & Sacramentatio*; ita est simul Sacrificium, in quantum offertur in Dei gloriam, & est Sacramentum, in quantum sumitur in nostram vtilitatem. Necessariamque connectionem habent Sacrificium & Sacramentum: non quod Sacramentum sit pars essentialis Sacrificii, siquidem hoc perficitur in consecratione *solâ vtriusq; speciei* (cum quia Christus est principalis

Offerens, & Sacerdos solum verba consecrationis dicit in persona Christi; tum etiam, quia sola consecratio continet tam moralem, quam mysticam significationem, ut supra dictum est) sed quia Sacramentum conexum est cum Sacrificio veluti terminus, Sacerdos enim obligatus est, teneturque per Communionem seipsum reddere participem fructus Sacrificii. Et hic est ordo Divinae Providentiae, perfectaeque Charitatis: primo, ut quaeratur & promoveatur gloria Dei; secundo utilitas spiritualis propria; tertio utilitas spiritualis Proximis. Prius debet ipse sumere, deinde ceteris dispensare: ut sit Divinorum dispensator, quorum prius ipse debet esse particeps. Praeterea quantum ad essentiam, primum est Sacramentum, quia in qualibet specie saluatur Sacramenti essentia, quae consistit in refectione, & in ratione cibi: essentia Sacrificii postulat consecrationem utriusque simul speciei, propter expressam Passionis Christi representationem. Secundo, quantum ad integritatem, simul sunt, quia refectio, ut sit completa & integra, requirit panem & vinum simul, nempe, Corpus & Sanguinem. Tertio, quantum ad effectum, praecedit effectus Sacrificii, qui consistit in fieri: quia consistit in actione, & effectus Sacramenti consistit in usu: tamen effectus Sacramenti etiam praecedere possit, esto non licite, si quis sumeret Hostiam consecratam ante vini consecrationem.

PRÆROGATIVA XV.

Est Sacrificium Figurativum.

Sicut Sacrificium Missae est secundum cultum internum, qui consistit in illa recognitione Divinae Excellentiae, propriaeque subiectionis, ut supra diximus; & secundum cultum externum, qui consistit in ritu Ecclesiastico, & aliud non est, quam usus caeremoniarum ad cultum Dei spectantium, & secundum Fidem: itaque quae in genere signi est figura Sacrificii futuri in Patri. Cultui interiori succedet visio clara, Amor, & Gaudium Beatificum Dei; & Cultui exteriori succedet Laus Dei.

S. Th. 1. 2.
q. 101.

Gaudium & lætitia inveniuntur in ea: gratiarum actio, *Isa. 56.*
 & vox laudis. Adhæc, cæremoniæ Ecclesiasticæ tres
 habere possunt significationes: moralem, allegoricam,
 anagogicam: veluti cæremonia illa, quæ aqua miscetur
 vino, primò, significat vñionem animæ cum Christo:
 secundò, emanationem Sanguinis & Aquæ ex latere
 Christi; tertio, introductionem in Gloriam, quæ Sacri-
 ficii finis est. Redundat aqua in Calicem,
 & salit in vitam æter-
 nam.

S. Ambrosi

F I N I S.



ALONSO DE
SIDER
TOMAS
ON

60

Ca

E

Inq

De

De

Co

I

I

I

I

I

I

De

F

F

F

F

